BERNARDUS CLARAVALLENSIS. NICOLAUS CLARAVALLENSIS. OGLERIUS DE LOCEDIO

Heiligenkreuz (?), Wende 13./14. Jh. (?)

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30417
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

civitatem hierusalem et hec est aqua prima. Sudat iam imminente passionis hora, et hec est aqua secunda, non ab oculis tantum, sed a toto corpore manans. Hec autem rubea sanguineique coloris sicut scriptum est: Et factus est sudor eius tamquam gutte sanguinis decurrentis in terram. Iam vero tertia aqua est, quando et post mortem de latere eius una cum sanguine emanasse. Et tu ergo quidem primam habes, si rigas consciencie tue lectum dolore compunctionis preteritorum, diluis maculas peccatorum. Secundam habes aquam, si in sudore vultus tui vescis pane tuo, et in labore penitencie corpus tuum fatigas ac restringis concupiscentie flammam. Est autem sanguinei coloris, seu propter laborem seu et propter ipsum quem extinguit concupiscentie ignem. Iam vero si perficere potes, usque ad devocionis graciam potabis aquam sapiencie salutaris, et spiritus Christi qui super mel dulcis est fiet in te fons aque salientis in vitam eternam. Et merito hanc esse aquam, que procedit [de latere] dormientis et sine omni molestia fluit. Oportet et iam mortuum esse mundo qui in hac voluit gratia delectari. Ergo ut breviter repetam, prima quidem a preteritis delictis abluit conscientiam. Secunda, ut futura caveas, extinguit concupiscenciam. Tercia, si ad eam perveniri meruerit, potat animam sicut

Sermo beati Bernhardi abbatis de sex ydriis lapideis. ·xxxviii

Erant ibi posite lapidee sex ydrie secundum purificacionem iudeorum. Intelligamus has sex ydrias positas esse sex observancias cuius dei propositas, in quibus tamquam vi iudei purificari debeamus. Sunt autem iste: silencium, psalmodia, vigilie, ieiunium, opus manuum, carnis mundicia. In ydria silencii purificamur a peccatis que ex verbositate contrahimus. Cuius vicii sunt octo species. Est enim verbum stultum, vanum, mendax, ociosum, dolosum, maledictum, impudicum, excusatorium. Talie nimirum pestis de loquacitate nascentes et per silencii censuram aut curantur funditus aut certe ne multum no

+ est.?

Sub in parvis sermonibus numero duodecimo et decimo tertio